



P A U C A  
DE  
**DATIONE IN SOLUTUM.**

---


DISSERTATIO IURIDICA  
QUAM  
ILLUSTRIS IURECONSULTORUM ORDINIS  
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU  
IN  
*ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA*  
PRO  
SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS  
RITE OBTINENDIS  
DIE XXII. M. OCTOBRIS MDCCCXXX  
PUBLICÉ DEFENDET  
**GUIL. ADOLPH. BLUMENTHAL**  
LUNAEBURGENSIS.

---

OPPONENTIBUS:  
G. SEIDENSTICKER, DR. IUR.  
G. FRANCKE, STUD. IUR.

---

G O T T I N G A E,  
TYPIS CAROL. EDUARD. ROSENBUSCH.  
MDCCCXXX.



**GUILL. LANGREHR**

A M I C O.

---

## **DISPOSITIO.**

---

### **SECTIO I. Ius ROMANUM.**

**CAP. I. Dationis in solutum notio.** . . . . . §. I.

**CAP. II. Dationis in solutum natura.**

A. Communis JCtorum sententia. . §. II.

B. Quae veriora videntur.

I. Generalia quaedam . . . . . §. III.

II. Singuli dat. in solut. casus.

A. Si pecunia debetur. . . . §. IV.

B. Si aliud quidquam debetur . §. V.

III. Duplex dation. in sol. natura. . §. VI.

**CAP. III. Initium et finis.**

- A. Si consensu contracta est obligatio. . . . . §. VII.
- B. Si re est contracta. . . . . §. VIII.

**CAP. IV. Effectus. . . . . §. IX.****CAP. V. Obligatio contrahentium:**

- A. Generalia. . . . . §. X.
- B. Singula quaedam:

**I. Evictio.**

- A. Si emitio venditio est dat. in sol. . . . . §. XI.
- B. Si contractus est innominatus q. v. . . . . §. XII.

**II. Quae invicem a contrahentibus praestantur**

- A. Num aequalia esse debent? . . . . . §. XIII.
- B. Laesio enormis q. v. . §. XIV.

**CAP. VI. Datio in solutum sub conditione contracta. . §. XV.****CAP. VII. Pacta adiecta. . . §. XVI.****CAP. VIII. Dationis in solutum obiecta. . . . . §. XVII.****SECTIO II. Ius quo nunc utimur. . . §. XVIII.**

DE

**DATIONE IN SOLUTUM.****SECTIO I.****IUS ROMANUM.****CAP. I.****DATIONIS IN SOLUTUM NOTIO.****§. I.**

**I**nter omnes ac varios, quibus tollitur obligatio, modos praecipuus est solutio eius, quod debetur. Et hoc ipsum in obligatione per solutionem tollenda, praestandum est. Quamvis enim solutionis verbum pertineat ad omnem liberationem

quoquo modo factam *a*), tamen si specialem distrahendarum obligationum modum hac voce designamus, praestatio eius est, quod debetur. — Nam “solutam pecuniam intelligimus utique naturaliter, si numerata sit creditoris”, dicit MARCIANUS *b*), “et si acceptum latum sit — solutionis verbum non proficiet”; quare et imaginariam tantum solutionem acceptilationem appellat JUSTINIANUS *c*).

Et aequale quidem creditoris et debitoris ius esse constat, ut per solutionem tollatur obligatio, neque a debitore aliud peti, neque aliud pro alio invito creditore solvi posse *d*). Ex voluntate autem contrahentium recedi potest ab illa debiti obligatione, et, quod non debetur, solvi, ita ut etiam alias obiecti praestatione liberari debitorem nihilominus recte dicamus. “Placere” enim “rem pro pecunia solutam parere liberationem” *e*), et “rem pro re solvi posse” *f*) dicit ULPIA-

*a) Paull. l. LIV. de solutt. et liberatt.*

*b) l. XLIX. de solutt. et liberatt.*

*c) §. I. J. quibus mod. obl. toll.*

*d) Paull. l. II. §. I de reb. cred. — Dioclet. et Maxim. l. XVI. Cod. de solutt. et liberatt.*

*e) l. XXIV. §. IV. de conduct. indeb.*

*f) l. I. §. V. de pecun. constit.*

NUS, et “manifesti juris est”, imperatores *g*), “rebus pro numerata pecunia” — et sane vice versa — “consentiente creditore datis, tolli paratam obligationem”, quod et multis aliis locis probatur. — Liberatur debitor, quia satis fit creditor, et, quum pro solutione sit, hic creditor satisfaciendi modus datio in solutum nostris, verbis in solutum dare *h*), pro soluto dare *i*), in solutum tradere *k*) veteribus *l*) vocatur. —

Est igitur datio in solutum modus obligationem consentiente creditore tollendi, per eius, quod non debetur, pro debito praestationem, animo liberandi factam. — Eo enim, quod ex libero creditoris debitorisque consensu fiat, quam maxime differt a beneficio dationis in solutum

*g) Dioclet. et Maxim. l. XVII. Cod. de solut. — pr. J. quib. mod. obl. toll.*

*h) Ulp. l. XL. §. I. de minorib. — Gai. l. V. ad. SCtum Velleian. — Alexand. l. I. Cod. si antiq. credit.*

*i) Ulp. l. XXIV. pr. de pignoratit. act. — Antonin. l. IV. Cod. de evict.*

*k) Dioclet et Maxim. l. XIV. Cod. mand. — l. VIII. Cod. de sentent. et interlocut.*

*l) B. Brisson de V. S. voce: Solvere.*

q. v. m), JUSTINIANI imperatoris clementia n) debitoribus, ad restitutionem auri non idoneis, concessa, legibusque imperii o) denuo sancito, quo cum minime debet confundi. In hoc enim praevia taxatione rei acceptationem creditor recusare non potest, quare etiam necessariam dationem in solutum hoc beneficium vocant p), et alteram voluntariam, de qua sola hic agitur.

## C A P. II.

### DATIONIS IN SOLUTUM NATURA.

#### §. II.

##### A. Communis J Ctorum sententia.

Formata dationis in solutum notione, quae nam eius sit natura, iam videamus. Adparet, creditoris et debitoris illum in idem placitum consensum pactionem esse, nascique exinde ob-

m) S. Stryk de benefic. dat. in solut. Disputatt. Francoff. Vol. I. disput. IX. Francof. MDCCXLIII.

n) Nov. IV. cap. III. cf. Auth. Hoc nisi Cod. de solutt. et liberatt.

o) R. I. N. §. CLXXII. seqq.

p) Frantzkius commentar. in tit. de evictt. 334. in f. — H. Schönfeld. D. de datione in solutum IV. Altdorf. MDCXCIII.

ligationem, quamvis solvendi negotii causa detur. Et secundum ea, quae de solutionis notione pro posuimus, aliter ad hunc ipsum pristinae obligationis distractum aliam rem dando perveniri non posse recte dicit DONELLUS a). Cuius autem generis illa obligatio, quibusque principiis diuidicanda sit, quaeritur.

GLOSSA b), distinguens inter obiectum, quod debetur, si res in solutum pro quantitate datur, quasi venditionem; si species pro specie, modo permutationem, modo aliud do ut des contractuum genus esse dicit, ex differentia, quae ad l. I. Cod. de rer. permuat. (adversante quidem PAULLO l. V. §. I. de praescriptis verb. c)) statuitur. ACCURSIUM sequitur CUIACIUS d), cum FRANTZKIO e) multisque aliis, qui apud FROMMANN f) enumerantur. Ita etiam Do-

a) Commentar. lib. XVI. cap. IX. XIV.

b) ad l. IV. Cod. de evictt. et l. VIII. Cod. de sententt. et interlocc.

c) Cuiacius Recitat. solenn. ad l. I. Cod. de rer. permut. (Ed. Neap. Tom. V.)

d) Observatt. lib. XIX. cap. XXXVIII. — Ad African. tractat. VIII. ad l. XLVII. de evictt.

e) Commentar. in tit. de evictt. 344.

f) Analysis l. IV. Cod. de evictt. etc. th. XIII. (Tubing. MDCLX.)

NELLUS g) primum GLOSSAE tantum casum spectans, emtionem contrahi censet, vulgatumque iuris recentioribus est dationem in solutum venditionis vicem obtinere. — Quae vero non ubique vera neque satis accurata esse in sequentibus demonstrare studebimus.

B. Quae veriora esse videntur.

§. III.

I. Generalia quaedam.

Quamvis in datione in solutum definienda recte distinguiere inter primaevae obligationis objecta illi mihi videantur, tamen rectius commune singulis omnibus casibus iudicium facere, et ex iis ipsis, quae inter partes aguntur, negotii nostri naturam deducere tentabimus. Ad quod neque emtionis, neque permutationis notionem sufficere et res ipsa, et ipsa, quam faciendam necessariam duxere VV. DD. fere omnes, distinctio, satis ostendit.

Iam si id, quod agitur, consideramus, pactum iniri de tollenda obligatione, remque aliam quam quae ex illa debetur, solvi videmus. Quod autem pactum de non petendo ob ipsam,

g) Commentar. I. c. XIV.

quae insequitur, rei dationem, inter contractus referri posse crediderim, qua "contractus" voce, si hoc nihili putare nolis, etiam Romanos h) in datione in solutum denominanda usos esse invenies. Quum enim ius suum in antiquam obligationem dimitiat creditor, remque det debitor, mutuae occurrunt praestationes et contrahitur negotium, quod onerosum vocant. In quo, quid obstat, quominus, quaे de contractibus realibus q. v. valent, rationes adhibeamus et talem contractum dationi in solutum inesse dicamus? Dat ur enim ut faciat creditor, i. e. ut a iure suo recedat, et satisfactum sibi esse declareret ipsa rei, quae datur, acceptatione neque petat, quod ex pristina obligatione debetur. "Facere enim oportere et hanc significationem habet, ut abstineat quis ab eo facto, quod contra conventionem fieret, et curaret, ne fiat" i). Contractus igitur innominati q. v. etiam dationis in solutum vera esse mihi videtur natura; quare si res vel pecunia pro debito datur, in contractibus do ut facias; si vero, quod a debitore in solutum praestatur, factum est, in contractibus facio ut

h) Anton. I. IV. Cod. de evictt. — Dioclet. et Maxim. I. IX. Cod. de rescind. vend.

i) Paull. I. CLXXXIX. de V. S.

facias numerandum erit negotium. — Et haec quidem ita, ipsius rei ratione habita, praetermissis iuris nostri, quae hanc materiam attingunt, fragmentis, in quibus praeterea alia constitui in singulis, ad quae nunc transeamus, exponemus. —

## II. Singuli dationis in solutum casus.

### §. IV.

#### A. Si pecunia debetur.

Duo sunt, si primaevae obligationis obiecta spectamus dationis in solutum diversi inter se casus, quum quam maximam in contractuum naturam exerceat quae pretium intercedit et mercem differentia *k*). — Dat enim debitor vel facit aliquid aut pro pecunia debita aut pro re vel facto quod debetur.

I. Quorum primo convenire quae spha anteced. negotio nostro inesse diximus non est dubium. Datur enim res, ne debitum petat creditor, quod est contractus do ut facias; aut faciente aliquid debitore ut a iure suo alter re-

*k*) Paul. I. I. de contr. emt. — I. I. de rer. permuat.

cedat, facio ut facias contractus initur. — Neque permutationem hoc casu contractam esse putare aliquem crediderim.

Non inique tamen, si pro pecunia debitas praestatur, cum VV. DD. §. II. laudatis emtionem venditionem continere dationem in solutum dixeris. Nam Romanorum JCtos idem sensisse et qua talem accipi eam voluisse, ostendit UPIANUS, qui eum, qui rem in solutum acceperit, emtori similem esse *l*) ait, et creditor, qui ius dominii impetraverit, de evictione agere volenti, utilem ex emto concedit actionem, “quemadmodum si pro soluto res data fuerit, ut in quantitatem debiti ei satis fiat” *m*). Nec non ANTONINUS imperator *n*) huiusmodi contractum vicem venditionis dicit obtinere, utilemque (ex emto) competere actionem, et eiusdem fere potestatis vocabula inveniuntur “res in solutum dare vel distrahere” *o*).

*l*) I. ult. quib. ex causs. in possess. eatur.

*m*) I. XXIV. pr. de pigneratit. act.

*n*) I. IV. Cod. de evict.

*o*) Alexand. I. I. Cod. si antiqu. credit. — Dioclet. et Max. I. III. Cod. de luit. pignor.

Quam venditionis naturam ita explicat HILIGERUS *p*): "est emtio quae fit brevi manu. Nam celeritate coniungendorum inter se actuum, is actus, qui solvendo et soluto pretii vice reddendo expediendus, quasi per occultum intermortuus videtur arg. ULP l. III. §. XII. de donatt. int. V. et U. *q*)". At hoc non satis accurate dictum videtur. In casibus enim ill. citt. debitoris, ipsum obligationis obiectum, quod adest, solvere parati, non interest creditori solvat, an alii; quare priori faciendam solutionem celeritate coniungendarum inter se actionum occultari, breve manu factam esse recte fingere potuit UPLANUS. Non vero ita res se habet in datione in solutum. Indubitata enim hic est et debitoris et creditoris intentio non praestari, quod debetur, et illa quidem quam saepissime ipsa necessitate adducta. Num igitur factam esse solutionem merito accipimus contra partium voluntatem, non extante fortassis pecunia debita et nihilominus rem in solutum datam illa pecunia emtam esse dicimus? Neque illa subtilitate no-

*p*) Ed. Don. Comm. lib. XVI. cap. IX. XIV. not. XII. — cf. Frommann l. c. th. XXIII.

*q*) cf. Ulp. l. XLIII. §. I. de I. D. — l. XV. de reb. credit.

bis opus est quum facilius ipsi de tollenda pristina obligatione contrahentium consensui emtionem inesse contendere possimus. Si enim pro pecunia debita rem in solutum accipit creditor, et ab illius petitione recedit, quum respectu debitae quantitatis habito id fiat, convenisse videatur inter partes, rem tanti emtam esse, quantum debebatur. Est enim res et certum pretium et consensus de re pro illo tradenda, quod omnimodo venditio vocatur. Pretium compensatione numeratur. Hanc rei esse rationem ostendere quoque mihi videntur verba imperatorum *r*), "— rebus in solutum datis sive distractis et „compensato pretio” — idemque CUIACIUM *s*) et DONELLUM *t*) sensisse puto.

Secundum ea, quae modo dicta sunt, consequens erit eo casu, quo pro pecunia debita ad tollendam primaevam obligationem facit aliquid debitor, locationem conductionem vocari

---

*r*) Dioclet. et Maxim. l. III. Cod. de luit. pignor. — l. XX. Cod. de solutt.

*s*) Ad African. tractat. VII. ad l. XXXVIII. §. II. de solutt. et liberatt.

*t*) Commentar. l. c. XIV.

negotium, si factum tale est, quod locari solet *u*).

### §. V.

#### B. Si aliud quidquam debetur.

II. In secundo casu, si pro re debita res in solutum datur, permutationem contrahi communem supra diximus VV. DD. esse sententiam, cui vero adsentire non possumus. Fit enim permutatio rem dando, ut alia res accipiatur *v*); in datione in solutum autem debitor tantum rem dat, nullam a creditore contrà accipiens. Nam harum rerum utraque, et quae datur, et quae ex pristina obligatione debetur, debitoris est, nec magis eius fieri potest, et uti suae rei emtio non valet et conductio *w*) rel., ita etiam suae rei permutatio consistere nequit. Nec meliore iure in hoc, quam in primo casu brevi manu factam rei praestationem fingi posse contenderis, multoque minus emtionem esse contractam.

*u*) Paul. I. V. §. II. Gai. I. XXII. de praescript. verb. — pr. I. de locatione.

*v*) Paul. I. I. §. I. de contr. emt.

*w*) Pompon. I. XVI. de contr. emt. — Ulp. I. XLV. de R. J.

Dicit NERATIUS *x*): “insulam hoc modo, „ut aliam reficeres, vendidi; respondit: nullam „esse venditionem, sed civili intentione incerti „agendum est”, et MARCIANUS *y*): “tunc res pro „re soluta liberationem praestat, quum pro so- „lido facta est suspiciens”, quod in venditione minime requiri constat. — Rectius igitur et se- cundum JCtorum modo citt. responsa, proprié hoc casu nil aliud inter creditorem debitorem que actum dicemus, quam contractum do ut fa- cias esse initum. Nec quuni intersit, rem accipiat creditor an pecuniam, ut a iure suo recedat, quum tale factum sit, quod locari non soleat, etiam de eo casu, in quo pecunia pro re debita solvitur, idem erit statuendum.

Simili modo contractus facio ut facias erit datio in solutum, si id, quod a debitore pro re vel facto debito praestatur, factum quoddam est, et si pro pecunia, tale scilicet factum est, quod locari non solet. Quod etiam in eo casu oc- currit, si nomen in solutum datur, quem in contractus facio ut facias referendum censem

*x*) I. VI. de praescript. verb.

*y*) I. XLVI. de solutt. et liberatt. — cf. Labeon. I. XXIX. §. III. de leg. III.

PAULLUS *z)* et tutius esse ait praescriptis verbis dari actionem.

### §. VI.

#### III. Duplex dat. in solut. natura.

Re igitur contractae obligationis in omnibus casibus datio in solutum p[ro]ae se ferre videtur naturam. — Quum vero in eo, quem primum diximus, casu venditionis vicem obtinere eam velint Romanorum ICti atque imperatores, etiam nobis hanc faciendam esse distinctionem, dupl[icem]que dationi in solutum pro diversis inter se pristinae obligationis obiectis attribuendam esse indolem placet, ita ut sit:

I. Consensu contracta obligatio — aut venditio aut locatio — si pecunia debetur;

II. Re contracta obligatio — aut contractus do ut facias, aut facio ut facias, — si aliud quidquam debetur.

Superest, ut pauca de stipulationis interventu adiiciamus. Quodsi sp[ecie] sponderit debitor se aliud pro alio soluturum esse, aut si hoc agatur *a)*, ut novetur obligatio et expressum sit *b)*,

*z)* I. V. §. IV. de praescript. verb.

*a)* Ulp. I. II. de novatt. et delegatt.

*b)* Justinian. I. VIII. Cod. eod.

novatio facta est, et sublata pristina obligatio, aut duae extant obligationes, quae subsecuta datione, quum illa satisfiat creditori, uno momento tolluntur *c)*. In utroque igitur casu tota res in stipulationem translata est *d)*, et in verbis contractas obligationes referenda, quam ob rem plura de ea tradam nil attinere videtur.

Haec sunt, quae et ipsius negotii et fontium ratione habita de dationis in solutum natura atque indeole praemittenda putavimus, quo quae initium, finem effectusque spectant, tutam ingressi viam, facilius exponere possimus.

---

### C A P. III.

#### INITIUM ET FINIS.

### §. VII.

#### A. Si consensu contracta est obligatio.

Quum in praecedentibus modo consensu modo re contractam obligationem esse dationem

---

*c)* Marcian. I. XLIV. de solutt. et liberatt.

*d)* Paull. I. LXXI. pr. pro socio. — I. CXXVI. §. II. de V. O.

in solutum demonstratum sit, non pari modo partium obligationi initium preeberi posse adparet.

Primo enim casu, si emtio est, quum haec nuda contrahentium voluntate contrahatur, ipso consensu tenentur partes, actionesque emti venditi competit, vel si locatio est, locati conducti. — Itaque etiam, nisi id voluerint contrahentes, debitorem a promissa datione in solutum hoc casu recedere posse cum BRISSONIO *a*), quem HILLIGERUS *b*) et FROMMANN *c*) sequuntur, minime censuerim. Qui in contrarium suam sententiam adducunt ULPIAN. l. XLV. pr. de solutt. et liberatt.; huiusque debitoris facultatis rationem adferunt, quod in eius gratiam id cautum fuerit, nec ad necessitatem praestationis converti debeat, et inconsequenter sane FROMMANN realium q. v. contractuum similitudinem ex qua etiam in datione in solutum ex re tradita demum exordium capere obligationem colligit, quum ipse hoc casu emtionem con-

*a*) De Solutionibus et Liberationib. lib. I. (Opp. varr. Paris. MDCVI. p. 185.)

*b*) Ed. Don. Comm. l. c. not. XII.

*c*) Analysis l. IV. Cod. de evictt. cit. th. XXXVI.

tractam esse dicat *d*). — Accurius igitur laudatum illud ULPIANI fragmentum inspiciamus, cuius verba haec:

“Calippo respondit: Quamvis stipulanti uxori „vir spoponderit diremto matrimonio praedia, „quae doti erant obligata in solutum dare, ta- „men satis est, offerri dotis quantitatem”.

Et videtur generalem de datione in solutum regulam proposuisse JClus, iusque, quod illi volunt, concessisse debitori, quod autem ab omnibus iuris principiis dicendum esset alienum. Quae enim ratio adserri potest cur pure atque utiliter stipulatae uxori denegetur actio in id quod promissum est? Nonne aequo modo in creditoris quam in debitoris gratiam datione in solutum cautum esse potest, ita ut illius quam maxime intersit, novam rem praestari? Neque contrarium sensere imperatores *e*), rescriptentes: — “si pro pecunia, quam mutuo dedisti, tibi „vinum stipulanti, qui debuerant, spoponderunt; „negotii gesti poenitentia contractum recte habi-

*d*) l. c. th. XXIII. — th. XXXVII.

*e*) Dioclet. et Maximian. l. X. Cod. si certum petatur.

,,tum non constituit irritum". — Magnaque sane cum socordia rem tractasse mihi videtur CUIACIUS f), qui, nostrae legis (XLV. pr. cit.) mentionem faciens, non solo consensu perfici datio nem in solutum ait, ideoque integrum esse debitori obferre pecuniam, quum apertissimis verbis scriptum sit: "stipulanti uxori vir spopon derit". — Nec dubitat ille quin, si ita facta sit pignoris datio hypothecaeve, ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, iure erutoris possideat rem creditor, iusto pretio tunc aestimandam, quum quodammodo conditionalis huic casui inesse videatur venditio g), debtor teneatur, si illa conditio exstiterit. Et hanc ipsam conditionem, "si iusto tempore non solvero", dubiam contrahentium voluntatem interpretans, tali de dote promissioni inesse, constituisse mihi videtur JCtus; quod quidem nostrae legi supponens ipse CUIACIUS nihilominus post diem obferre posse pecuniam vult debitorem, qua de re ULPIANUM agere intelligere non possum.

Uti igitur ex stipulatu debtor, ita sane etiam venditor et locator, quare et ille qui in solutum dare vel facere promisit, ubi tale nego-

f) Recitt. solenn. ad l. IV. Cod. de pigneratit. act. (Ed. Neap. Tom. IX.)

g) Marcianus l. XVI. §. ult. de pignorib.

tum nuda voluntate contrahitur, ex consensu tenetur.

Quae quamvis ita sint, tamen perfecta datio in solutum ante rei traditionem vel factum præstatum, non est dicenda, quum liberatio debitoris a primaeva obligatione finis sit novi contractus, et negotium nostrum modum esse tollendi obligationem supra definierimus. Illa autem non prius tollitur, quam satisfactum sit creditori.

### §. VIII.

#### B. Si re est contracta.

Secundo casu, in quo re contracta est obligatio datio in solutum ipsa rei datione initium partium obligationi praebetur, et quae antea fiunt, nudi pacti nomine veniunt. Quare hic locum habere recte dicitur, quod generaliter contendunt VV. DD. §pho antecedente citt. debitorem scilicet non impediri quominus a promissa datione in solutum recedat, pristinamque solvat obligationem. Nam permutatio ex re tradita initium obligationi praebet h), et ex placito permutationis nulla re secuta constat nemini actione-

h) Paullus. l. I. §. II. de rer. permutat.

nem competere *i*), eademque et similia de aliis econtractibus realibus q. v. valent. Et quum ipsa rei acceptatione declareret creditor sibi satisfactum esse, et faciat igitur, quod ex contractu ei faciendum est, hoc casu rei datione vel facti praestatione et incipit datio in solutum et finitur.

C A P. IV.  
E F F E C T U S.

§. IX.

Nunc quod datione in solutum efficiatur, secretisque singulis casibus, quae inter antiquam novamque obligationem ratio intercedat, videamus. Convenit inter partes tolli paratam obligationem, per alius, quam quod debetur, praestationem, quod

I. si consensu contracta est obligatio, et pecunia debebatur, compensatione fit, vel ante novi contractus solutionem, vel hac ipsa. Ipso illo contrahentium consensu obligatio non tollitur *a*), nisi consensu fortassis fuerit contracta; prout

*i)* Dioclet. et Maxim. I. III. Cod. eod.

*a)* Paull. I. XXVII. §. IV. de pactis.

enim quidque contractum est, ita et solvi debet *b*). Rem autem tanti emtam esse, vel tantum locati facti esse pretium, quantum debebatur, placere, supra §. IV. in f. diximus. Duo igitur extant nomina; debitum ex antiqua obligatione, et quod creditor debet ex emto vel conducto, et illa quidem aequalia. Eo igitur momento, quo se compensata esse nomina velle profitetur uterque contrahentium *c*), sublata est antiqua obligatio, inde a tempore, quo nova fuit contracta *d*). Quodsi autem hoc non declaratum est, usque dum impletus sit novus contractus, duae obligationes permanent, quum mutuorum sola nominum existentia sine ullo sit effectu *e*); praestationi autem illius, quod ex datione in solutum debetur, ea mente, ut tollatur pristina obligatio, facta, ipsa illa compensationis declaratio inest; tolliturque utraque obligatio. "In numerationibus enim aliquando evenit" dicit MARCIANUS *f*),

*b)* Pomponius I. LXX. de solutt. et liberatt. Ulp. I. XXXV. de R. I.

*c)* Ulp. I. I. §. V. de contr. tutel. — Alexand. I. II. Cod. de in lit. dando tut.

*d)* Ulp. I. XI. I. XII. de compensatt. Alexand. I. V. Cod. eod.

*e)* Papinian. I. X. de duob. reis.

*f)* I. XLIV. pr. de solutt. et liberatt.

“ut una numeratione duas obligationes tollantur uno momento. Veluti si quis pignus pro debito vendiderit creditoris; evenit enim ut ex vendito tollatur obligatio et debiti”.

II. Si re contracta est obligatio datio in solutum antequam dederit debitor vel fecerit, antiqua obligatio, ut diximus, tolli non potest, quum nudo pacto id effici non possit et negotio ipsi ex datione demum initium praebatur. Facta autem eius, quod ex hoc debetur, praestatione et acceptatione simul a primaeva obligatione liberatur debitor, quum satisfactum sit creditoris. Satisfactionem enim pro solutione esse permultis locis tradunt *g)*, et de ipsa datione in solutum loquentes hanc regulam adhibere invenimus et **ULPIANUM** *h)* et imperatores *i)*.

Jam si interesse potest, quod negat **PAULUS** *k)*, quaerere num post datam rem ipso iure

*g)* Ulp. l. LIII. de solutt. et liberatt. l. CLXXVI. de V. S. — Pompon. l. XLI. §. I. de manu miss. test. — Javol. l. XXXIX. §. I. de statu liberis.

*h)* l. XXIV. pr. de pigneratit. act.

*i)* Dioclet. et Max. l. III. Cod. de luit. pigner.

*k)* l. CXII. de R. J.

creditor actionem non habeat, an per exceptionem illa infirmetur, liberationem in omnibus casibus ipso iure debitori contingere merito contendimus. — Compensatio enim ipso iure tollit obligationes *l)*, idemque etiam de datione in solutum valet. Refert quidem **GAIUS** *m)* quaeri, num ipso iure debitor liberetur, an obligatus maneat, at adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat; quum vero in caeteris et Dig. et Cod. legibus *n)* nulla hac de re mentio fiat, neque in principio J. quib. mod. obl. toll. ex **GAI** commentariis depromto, illa inveniatur **JCTORUM** controversia, dubium non est ipso iure tolli antiquam obligationem.

Et quum in omnibus speciebus liberationum accessiones tollantur, fideiussores hypothecae pignora *o)*, ita etiam in sublata per dationem in solutum obligatione hoc contingit.

*l)* Alexand. l. IV. Justinian. l. XIV. pr. Cod. de compensatt. — cf. §. XXX. J. de acti.

*m)* Commentar. III. §. 168.

*n)* vid. supr. §. I. II. nott. e) f) g) h) citt.

*o)* Ulp. l. XLIII. — Papinian. l. XCV. §. IV. de solutt. et liberatt.

## C A P. V.

## OBLIGATIO CONTRAHENTIUM.

## §. V.

## A. Generalia quaedam.

Quam ut attingat liberationem, quod debitori faciendum, pro diversa dationis in solutum natura idem non erit.

I. Primo enim casu ex vendito vel ex locato obligatur, quare sufficit rei traditio, quum accipientis eam facere vendor non cogatur. Et caetera omnia hoc casu iisdem, quae in venditione et locatione adhibentur, rationibus erunt diiudicanda. Igitur simulatque de datione in solutum inter partes convenerit, ubi emitio est, periculum et commodum rei ad creditorem pertinet, dolum culpamque praestare debitor, proque evictione cavere debet; ex aedilitio edicto teneatur, rel.

II. Secundo vero casu rem vel pecuniam dare i. e. iure dominii facere creditoris a) debi-

---

a) Ulp. l. LXXV. §. ult. de V. O. — §. XIV.  
J. de actt.

torem oportet. Quod et ex ipsa re contractarum obligationum natura sequitur, et apertis, supra iam laudatis verbis, tradit MARCIANUS b): “tunc res pro re soluta liberationem praestat, „quum pro solido facta est suspicientis”; neque antequam hoc fecerit debitor, creditori satisfactum est. — Porro etiam ad ea obligatus est, quae in rei datione aequae ac in venditione praestare eum postulamus, qualis est evictio; etc. — Si contractus facio ut facias est datio in solutum, et nomen datur, mandare actiones debitor, et, in quem mandantur, locupletem, non debet praestare, debitorem autem esse, praestare c) tenetur.

Creditori nil aliud est faciendum, quam ut rem accipiat, quo facto, praevio de priore obligatione tollenda consensu, uti iam diximus, satisfactum sibi esse declarat, et eo ipso contrahentes, quod voluere, peractum est.

Quae sufficient ad generaliter denotandas mutuas partium obligationes; restat ut de singu-

---

b) l. XLVI. §. I. de solutt. et liberatt. — cf. La  
beon. l. XXIX. §. III. de leg. III.

c) Celsus l. IV. de haered. vel. act. vend. —  
Papinian. l. XCVI. §. II. de solutt.

lis, quae maioris esse videntur momenti exponamus.

### B. Singula quaedam.

#### I. Evictio.

##### §. XI.

###### A. Si emtio venditio est dat, in solut.

Quodsi aliena res in solutum data, eademque evicta est, quibus actionibus in utroque casu experiri possit creditor, quaeritur.

I. Si pro pecunia debita res aliena data est, competere actionem ex emto utilem consentiunt omnes. Et ULPIANUM hanc actionem concedere iam supra §. IV. retulimus, eandemque etiam ANTONINUM l. IV. Cod. de evictt. verbis: "si (praedium pro soluto datum) "iure fuerit evictum, utilis tibi actio contra debitorem competit", quum adiiciat: "nam huiusmodi contractus „vicem venditionis oblinet". Utilis ideo, quia "non principaliter emtio in proposito est, sed „solvendi, distrahendi negotii causa datur", dicit DONELLUS a). Utrum vero sola ex emto utilis

a) Comm. lib. XVI. cap. IX. XIV.

an etiam ex pristina obligatione actio danda sit creditori, hac de re in diversas plane sententias discedunt VV. DD. — CUIACIUS b) et DONELLUS c), quorum primus parum quidem sibi constat d), eligere posse putant creditorem, quantum uti velit actione. GLOSSA e) contra, multique alii f) regressum ad primæva iura plane denegant, et ex emto tantum utilem de evictione concedunt. Quorum et nobis approbatur sententia quum consequens sit iis, quae de effectu dationis in solutum §. IX. exposuimus. Sublata enim est antiqua obligatio compensatione iam ante rei traditionem obiecta, aut eo ipso, quo res praestatur momento. Actio igitur creditori ex ea nullis modis potest competere, quum in perpetuum sublata obligatio restitui non possit. Neque audiendus est CUIACIUS g) qui "non est

b) Ad African. tractat. VIII. ad l. XLVII. de evictt.

c) Comm. l. c.

d) Obss. lib. XIX. cap. XXXVIII.

e) ad l. XLVI. de solutt. et liberatt.

f) Frantzkius comment. ad tit. de evictt. 337 seqq. — Frommann l. c. th. XXXVII. — Schönfeld. D. cit. XIX. — Stryk. Disput. cit. cap. V. 17 seqq.

g) Tractat. ad African. l. c.

“novum”, inquit, “ut sit electio actoris, qua  
„actione agat, pristina actione, quasi non solve-  
„rit debitor, an utili ex emto, quasi solverit.  
„Nam et si accepto tulero debitori, ut mihi  
„expromissorem daret, nec dederit, vel agam  
„pristina actione, quasi inutilis sit acceptilatio  
„(l. XLIII. pr. J. D.), vel actione in factum  
„praescriptis verbis, (l. IX. de praescript. verb.),  
„vel condicione ob rem dati (l. IV. l. X. de  
„condict. causa data c. n. s.), quasi utilis sit  
„acceptilatio”. — Qui vero loci pro nostro casu  
minime possunt adhiberi. Constat enim, qua  
de re ULPIANUS l. XLIII. pr. cit. et JAVOLENUS  
l. X. cit. agunt, quae dotis nomine fiant et facta  
sint, inutilia esse; si nuptiae non sequantur *h*);  
et quae contractum do ut facias spectant et con-  
dicionem causa data c. n. s., huc non per-  
tinent, quum de venditione agatur, et praestiterit  
debitor, quod ex vendito ei fuit praestandum  
satisque fecerit creditori. — Obiiciuntur praeterea l. XLVI. pr. et l. XCIVIII. pr. de solut-  
et liberatt. In primo autem fragmento MAR-  
CIANUS de eo casu loquitur, ubi res pro re sol-  
vitur, in quo de emtione et de actionibus ex

---

*h*) Ulp. l. III. l. XXI. Paull. l. XXXVII. —  
Papin. l. LXVIII. de J. D.

emto cogitari non posse iam supra §. V. memo-  
ravimus; in secundo, PAULLUS de dotis pro-  
missione verba faciens, eum qui pro filia sua  
dotem dare promittens, res obligatas dedit, nec  
dedisse nec fecisse ait, quod facturum se pro-  
misisset, ideoque maritum ex dotis promissione  
agere posse ac si statu liberum, vel rem sub  
conditione legatam dotis nomine pro filia pater-  
solvisset. “Harum enim rerum”, inquit, “solutio-  
„non potest nisi ex eventu liberare; scilicet quo  
„casu certum erit, remanere eas”. Et sane  
nescio, qua alia actione experiri possit maritus.  
Neque dationis in solutum natura ullum nostro  
casui adfert momentum, quum in hac, res, quae  
datur, in antiquae obligationis legem venire non  
possit; nostro autem casu ex dotis promissione  
solutum est, et quae dabatur possessio, dotis  
nomine dabatur, persolvique igitur debuit fides  
iureque dominii fieri illa mariti. Et evicta re,  
quae fuerit in dotem data, si pollicitatio vel pro-  
missio fuerit interposita, condicione vel ex stu-  
pulatione agi posse satis constat *i*).

Quod denique obstare dicunt l. VIII. Cod.  
de sentent. et interlocutt., distinguunt quidem  
imperatores inter venditionem et dationem in so-

---

*i*) Sever. et Antonin. l. I. Cod. de J. D.

latum, et in id quod interest agi, si, quae libera erat pronunciata Theodora emta fuerit, repeti vero posse debitum, si in solutum data fuerit, rescribunt; quum vero ipsi DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS l. III. Cod. de luit. pignor. dationem in solutum in eo, quem nunc tractamus, casu venditioni aequiparare videantur, GLOSSAM ad l. VIII. cit. sequens, de re debita imperatores cogitasse, quam contradicere, quae proposuimus, principiis putare maluerim. Non enim ea, quam STRYKIUS k) tradit, BACHOVII placere potest explicatio; pristinam dari actionem, quia, quae libera fuit Theodora, quum vendi nequiret, nulla fuerit datio in solutum; cui ipsa et hoc et aliis eorundem imperatorum rescriptis l) hoc casu concesso actio ex emto repugnat, et praeterea quod nonnisi sciens emtor liberum hominem emerit, nulla est emtio m).

Competit igitur, nisi stipulatus est, qui in solutum accepit, de evictione sola actio ex emto.

k) Disput. cit. cap. V. 21.

l) Dioclet. et Max. l. LXVIII. l. XXI. l. XXV. Cod. de evictt.

m) Licin. Ruf. l. LXX. — Paull. l. V. l. XXXIV. §. 11. de contr. emt.

utilis eademque non prius quam res evicta est n).

### §. XII.

#### B. Si contractus est innominatus q. v.

II. In secundo casu, si pro re res vel pecunia aliena data est, VV. DD. citt. omnes et ad primaeva iura regressum aperiunt creditor et actionem praescriptis verbis in id quod interest, concedunt; quod ex permutationis natura, quam hoc casu prae se ferre volunt dationem in solutum (§. V.) colligunt. Rectius autem illa, secundum ea, quae §. III. proposuimus, ex contractu do ut facias o) dari nobis videtur. — Primaeva autem iura extinta non esse, si aliena res data eademque vel tota vel pro parte evicta sit, claris verbis tradit MARCIANUS p): “Si quis „aliam rem pro alia volenti solverit, et evicta „fuerit res, manet pristina obligatio, et si pro „parte fuerit evicta, tamen pro solido obligatio „durat; nam non accepisset re integra creditor, „nisi pro solido eius fieret”, neque alienae rei

n) Sever. et Anton. l III. Cod. de evictt.

o) Paull. l. V. §. II. et IV. de praescr. verb.

p) l. XLVI. pr. de solutt. et liberatt.

datione satisfactum est creditori. Quae quidem ex ipsa dationis notione sequuntur, quum non videantur data, quae eo tempore quo dantur, accipientis non fiunt *q*), et iure avocari possunt *r*). — Nondum igitur sublata pristina obligatione, obligati manent fideiussores et pignora *s*). Nec usque dum evicta sit res expectare oportet creditorem in antiqua actione instituenda, quum satis sit, eam eius non factam esse *t*).

## II. Quae invicem a contrahentibus praestantur.

### §. XIII.

#### A. Num aequalia esse debent?

Tollendi obligationem modus est datio in solutum per alius, quam quod debetur, in locum debiti, praestationem, quare primaevae et novae obligationis obiecta, num aequalia esse debeant, quaeri potest. Utii vero in pretio emtionis et venditionis naturaliter licet contrahenti-

*q*) Paull. I. CLXVII. de R. I.

*r*) Pompon. I. III. pr. de actt. emti venditi.

*s*) Ulp. I. XIX. de pignorib. — Alex. I. III. Cod. de distract. pignor.

*t*) Celsus I. ult. de condic. causa data.

bus se circumvenire *a*), quod in totum praecipit PAULLUS *b*); ita etiam in datione in solutum, quam onerosum q. v. negotium esse diximus, quae occurunt contrahentium praestationes, paris sint pretii non necesse est. — Praeterea simpliciter rescribunt imperatores *c*): “Quum pro pecunia, quam mutuo acceperas, secundum placitum Evandro te fundum dedisse profitearis, eius industriam vel eventum meliorem tibi non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris distraxisset, non iuste petis”. — Quod et satis probare mihi videtur eius contractus natura, qui pacti antichretici nomine fertur; de quo pauca hic adiiciam a re non alienum esse videtur. — Antichresis est contractus, quo in vicem usurarum fructus alicuius rei consequitur creditor *d*). Si enim de fructuum in vicem usu-

*a*) Ulp. XVI. §. IV. de minoribus.

*b*) I. XXII. §. III. locati.

*c*) Dioclet. et Maxim. I. XXIV. Cod. de solutt. et liberatt.

*d*) Marciianus I. XI. §. I. de pignoribus. — Glück Ausführl. Erläuterung d. Pand. §. 870. Thl. 14. Abth. 1. S. 104 seqq.

rarum perceptione non convenerit inter partes, antichresis consistere non potest, et male sane antichresin tacitam appellant<sup>e</sup>), si creditor, quum debitor gratuita pecunia utatur, de fructibus rei pignoratae ad modum legitimum usuras retinet<sup>f</sup>), vel si promissae sunt, quod necesse habet, in rationem exonerandi debiti computat fructus<sup>g</sup>). Nec necesse est pignus sit res quae traditur creditori<sup>h</sup>). Datur in antichresi mutua pecunia et praestatur fructuum perceptio, quod recte do ut facias contractus vocatu a GLUECKIO<sup>i</sup>). — Nam etiam Romanos inter contractus reales q. v. hoc negotium retulisse docet MARCIANUS<sup>k</sup>), qui creditorem, si amiserit possessionem solere ait in factum actione uti; i. e. praecriptis verbis<sup>l</sup>). — Qui contractus, si de parata iam usurarum obligatione initur, datio est in solutum.

---

<sup>e</sup>) Glück l. c. §. 870. S. 116. II.

<sup>f</sup>) Paull. l. VIII. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacite contrahit.

<sup>g</sup>) Sever. et Anton. l. I. Cod. de pignoratit. act. — Alex. l. II. l. III. Cod. eod.

<sup>h</sup>) Glück l. c. §. 870. S. 114. I.

<sup>i</sup>) Glück l. c.

<sup>k</sup>) l. XI. §. I. de pignorib. cit.

<sup>l</sup>) Glück l. c. 870. S. 109 seqq.

Praestari enim fructuum perceptionem in vicem usurarum, ut a iure suo recedat creditor, egregie exposuit Cl. BERGMANN<sup>m</sup>), praceptor meus summe venerandus. Cui vero in eo adsentire non possum ut semper antichresi insit datio in solutum, quum, si eo ipso momento, quo datur pecunia, fructus promittuntur, nondum ius esse creditori in usuras, qui citra stipulationis vinculum petere saltem eos non possit, neque eo, quod commemorantur tantum, obligationem, quae fructuum perceptione concessa tollatur, nec naturalem quidem, constitutam esse<sup>n</sup>) putaverim, quod in datione in solutum necessarium esse videtur. Iam si antichresis est datio in solutum, sequitur etiam in hac, quae praestantur, aequalis sint pretii, non necesse esse. Neque τὰ ἐν αρχῇ petuisse mihi videor quum in antichresi nullam esse de fructibus rei traditae ad modum legitimum tantum usurarum retentionem posuerim; secundum ea enim, quae tum in iure Romano<sup>o</sup>) de huius negotii natura

---

<sup>m</sup>) Beiträge zur Einleitung in d. Praxis d. Civilprocesse S. 271.

<sup>n</sup>) Severus et Anton. l. VII. Cod. de usuris.

<sup>o</sup>) Marc. l. c. — Valer. et Gallien. l. VI. Cod. quod cum eo qui in aliena. — Alex. l. VII. Philipp. l. XVII. Cod. de usuris.

traduntur, tum a recentioribus *p)* afferuntur et praecipue de certo vel incerto fructuum eventu pluribus nuperrime illustravit Cl. BERGMANN *q)*, dubitari amplius non potest pactum *q.v.* antichreaticum, quin sine omni computatione valeat, nisi illicitum foenus ex partium mente contractum esse probetur.

#### §. XIV.

##### B. Laesio enormis *q. v.*

Quamvis autem in datione in solutum circumvenire se posse contrahentes dixerimus, tamen si ultra dimidium inaequalia sunt, quae invicem ab iis praestantur, secundum ea, quae ex generali regula *a)* resribunt imperatores *b)*, ut rescindatur negotium agi potest, nisi quod iusto pretio deest supplere elegerit alter *c)*. Actio competit ex contractu *d)* utilis, quare si alienata

*p)* Thibaut. Syst. d. P. R. §. 653. Schwepp<sup>e</sup> Röm. Priv. R. §. 388. Glück l. c. §. 870.

*q)* l. c. S. 275 seqq.

*a)* Thibaut Syst. d. P. R. §. 197.

*b)* Dioclet. et Max. l. II. l. VIII. Cod. de resc. vend. — l. III. Cod. commun. utriusq. iud.

*c)* l. II. Cod. cit.

*d)* Thibaut. l. c. §. 199.

sit rēs in solutum data, contra possidentem agi non potest. In restitutionem autem fructus etiam et usurae debent venire *e)*.

#### C A P. VI.

##### DATIO IN SOLUTUM SUB CONDITIONE CONTRACTA.

#### §. XV.

Datio in solutum uti pure, ita etiam sub conditione contrahi potest. Non autem eam conditionem valere, "si intra certum tempus debitum solutum non sit", recte monet STRYKIUS *a)*. In pignoribus enim constat pactum commissorum nullum esse ex CONSTANTINI constitutione *b)*; neque interesse videtur, res, quam dare quis promittit, pignus sit an alia res quaecunque, quum eadem legis sit ratio. — Si vero ita convenerit inter creditorem debitoremque, ut si certo tempore non solverit debitor, res pro

*e)* Paull. l. CLXXIII. §. I. de R. J. — Thibaut. l. c. §. 199.

*a)* Disputat. cit. cap. VI. 3. seqq.

*b)* l. ult. Cod. de pactis pignor.

iusto pretio creditori sit in solutum data *c*), valet negotium. Quod si adiectum non est, nisi contrarium ex partium mente appareat, subintellegendum erit *d*), quo res qua de agitur in tuto sit *e*).

## C A P. VII. P A C T A   A D I E C T A.

### §. XVI.

Quodsi ipsi dationi in solutum pacta sunt adiecta, illis, quae in venditione de non alienando, displicentiae, protimiseos, de retro vendendo commissorum et in diem addictionis vocantur, similia, qua, qui in solutum dedit, agat actione ob rem reddendam, non inutiliter quaeri mihi videtur. Et solas quidem actiones ex contractu, actionem ex vendito utilem et praescriptis verbis pro casuum differentia crediderim competere; quod in primis IV. quae enumeravi-

*c) Marcian.* l. XVI. §. ult. de pignor. — *Marcellus* l. XXXIV. de pigneratit. actione.

*d) Alex.* l. I. Cod. de pactis pignor.

*e) Ulp.* l. LXXX. de V. O. Julian. l. LXVII. de R. J.

mus, pactis haud dubium relinquunt iuris Romani fragmenta *a*). Sunt vero qui in pacto commissorio et in diem addictionis praeterea rei vindicationem concedant, et hanc, si alienata res sit, in possidentem; nulla quidem differentia intercedente utrum talibus pactis conditio suspensiva q. v., insit an resolutiva, q. v., si modo haec non sit conditio, quae invito debitore impleri non possit *b*). Verior autem videtur etiam in his J. H. BOEHMERI sententia, eum, qui dererit et rem emtoris iam fecerit iure dominii, si existat conditio, quam resolvendi negotii causa adiecerint partes, nullis modis rei vindicatione uti, sed actione tantum ex contractu agere posse, et “admodum paradoxum videri dominium ipso iure reverti ad venditorem, ex sola verborum efficacia magica, quod alias sine traditione non transeat” *c*). — Conditio enim in rei dominium nullam vim exercere potest, sed ex partium

*a) Paull.* l. XXI. §. V. de actt. emti. — *Hermogen.* l. LXXXV. de contr. emt. — *Procul.* l. XII. de praescr. verb. — *Valer.* et *Gall.* l. III. *Alex.* l. II. Cod. de cond. ob caus. dator. — l. II. Cod. de pact. int. emtor. et venditor.

*b) Thibaut.* Syst. d. P. R. §. 958. 959. §. 124.

*c) Exercitatt. ad Pandect.* IV. de verb. direct. et obl. §. XXXI.

mente corroborare tantum et valere facere causam vel factum illud, quo alias dominium adquisitum esset, quo autem certo casu id non adquiri voluerunt contrahentes, nisi illa conditio exstiterit. Iam si datio in solutum est contracta, ea lege ut si hoc vel illud factum esset, res data non foret, purum est negotium *d)*, sed adiectum pactum, ut certa existente conditione, res retrodaretur. Num vero illa talis pacti adiecti vis, ut transferre possit dominium in eum qui in solutum dedit? Quod sine dubio negandum. "Obligationum enim substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum vel servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis adstringat „ad dandum aliquid, vel faciendum, vel praestandum", *e)* et traditionibus et usucaptionibus „dominia rerum, non nudis pactis transferuntur" *f)*, quod quam plurimis iuris nostri fragmentis adprobatur *g)*. Quum igitur sola

*d) Ulpian.* I. II. de in diem addict.

*e) Paull.* I. III. pr. de O. et A.

*f) Dioclet. et Maxim.* I. XV. Cod. de pactis.

*g) Callistrat.* I. I. pr. de R. V. Ulp. I. V. pr. soluto matr. — *Dioclet. et Maxim.* I. VIII. Cod. de actt. emti. — I. XIII. Cod. de distract. pignor.

contractu iure dominii res alicuius fieri non possit, etiam in eum, qui iam creditoris eam fecerit, dominium ipso iure reverti non potest. Ita de pacto commissorio quaestionem decidunt **ULPIANUS** *h)* et **ALEXANDER imperator *i)*, nec obstatre videtur I. IV. Cod. de pact. int. emtor: "Commissoriae venditionis legem exercere non potest, qui post praestitutum pretii solvendi diem, non vindicationem eligere; sed usurarum pretii petitionem sequi maluit", quum ipso huius rescripti eiusdem imperatoris loco in codice nostro satis indicetur, continuandum illud esse praecedenti: "Qui ea lege praedium vendidit, ut nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se reverteretur, si non precariam possessionem tradidit, rei vindicatio nem non habet, sed actionem ex vendito". — In priore igitur I. IV. cit. casu dominium nondum transtulerat vendor. — Similia etiam de I. ult. de lege commissoria videntur dicenda.**

De in diem additione obiiciuntur I. IV. §. III. h. t. et quae una eademque est I. III. quib. mod. pign. vel hypoth. solvit. Scripsisse MARCELLUM refert **ULPIANUS** "pure vendito et in

*h) I. IV. pr. de lege commissoria.*

*i) I. III. Cod. de pact. int. emt. et vendor.*

„addicto fundo, si melior conditio adlata sit, rem „pignori esse desinere, si emtor eum fundum „pignori dedisset”, sic vero re distracta “nisi „emtori displicuisse”, pignus non finiri. — Quibus autem contrariam sententiam probari non censuerum. Eadem etiam in redhibitione dicuntur *k*). Cuius rei rationem quaerentibus, recte nobis videntur docere *ii*, qui rem pignori esse desinere dicant, si venditor ex causa, quae ipsi contractui inest, rem avocare possit, ne emtor, pignori eam dans, venditorem deterreat a repetitione; si vero ipse emtor rescindi negotium postularet, pignora non finiri, ne in eius arbitrio posita sit eorum existentia. — Praeterea a pignoribus ad dominium non valet consequentia, quum quam maxima pignora et reliqua iura in re intercedat differentia *l*), et praesertim ex nudo contractu competit actio hypothecaria. —

Adducunt denique in contrariam sententiam *I. XLI. pr. de R. V.* Dicit ULPIANUS: “Qui „hac lege emerit, ut si aliis meliorem attulerit

*k*) Ulp. I. IV. pr. quib. mod. pign. vel hypoth. solvit. — Paull. I. XLIII. §. VIII. de aedilit. edicto.

*l*) *Dn Roi Archiv. für civilist. Prax.* Bd. VI. S. 399 seqq.

„recedatur ab emtione, post adlatam conditionem iam non potest in rem actione uti. Sed si „cui in diem addictus sit fundus antequam adiectio sit facta, uti in rem actione poteris”. Loquitur de rei vindicatione emtoris JCtus, sed contra quem? Rectissime sane BOEHMERUS *m*) de actione contra ipsum venditorem hoc fragmentum intelligendum esse censem. Sensus igitur hic erit: Si tu ea lege a me fundum emisti, ut si aliis meliorem conditionem adtulerit, recedatur ab emtione, et ego mancipavi tibi aut in iure cessi fundum, nondum tradita possessione *n*), vel si nondum tradita possessione rei vindicationem tibi mandavi *o*), post adlatam conditionem iam non potes in rem actione uti, doli enim exceptione repelleris. — Si fundus in diem tibi addictus est, antequam adiectio facta sit, in rem actione uti potes, quia dominus es neque obici tibi potest pactum cuius conditio nondum existit; postea vero non poteris, quia obstat excep-

*m*) Exercit. cit. §. XXXII.

*n*) Ulp. fragm. tit. XIX. §. V.

*o*) Paull. I. XX. I. XLVII. Papinian. I. LXIII. de rei vindicatione.

tio iuris finiti. — Et quum utamur tantum iis, quae habemus; ipsa hac dicendi ratione indicasse mihi videtur ULPIANUS non denegari actionem, sed obstare exceptionem. Neque exinde sequitur, venditorem rem a possidente rei vindicatione avocare posse. —

Emti venditi autem actionem competere dicit ULPIANUS l. XVI. de in diem addict.

Recte igitur dixisse me puto in talibus pactis solis ex contractu actionibus agere posse eum qui in solutum dedit. Pactum autem commissorium sub ea conditione, si pretium intra certum tempus non solutum sit, in datione in solutum occursero non potest, quum in debitoris arbitrio positum sit, pretium per compensationem solvi.

### C A P. VIII.

#### DATIONIS IN SOLUTUM OBIECTA.

##### §. XVII.

Pauca denique de obiectis adiicienda restant. Datio in solutum, quum sit alienatio, res quae in solutum dantur, eius conditionis esse debent, ut alienari possint. Itaque neque res, quarum interdicta est alienatio, velut fundus dotalis, res eorum qui sub tutela vel cura sunt sine decreto, res per legatum relictae vel restitui dispositae, nisi ob causam dotis sive donationis propter nuptias, res litigiosae rel. neque aliae res ab iis quibus non libera alienandi est potestas in solutum dari possunt, quare in emphyteusi a) dominum consensisse vel attestacione facta intra duos menses eum praestare quantitatem, quam tam re vera emphyteuta ab alio recipere possit, supersedisse requiritur, rel.

---

a) Justinian. l. III. Cod. de iure emphyteut. verb.: "aliis vendere vel ius emphyteuticum transferre".

## SECTIO II.

**IUS QUO NUNC UTIMUR.****§. XVIII.**

In propositis iuris Romani de datione in solutum principiis nil aliud iure quo nunc utimur videtur mutatum esse, quam initium obligationis in eo casu, in quo contractus innominatus est negotium nostrum. Recedere enim non potest debitor a promissa datione, quum ex pacto detur actio.

Antiquae autem obligationis existentia, omissa apud nos stipulationis forma, a sola partium mente dependet, quare si sublatam eam esse se velle declaraverint, novatio facta est, et de datione in solutum amplius loqui non possumus. Quod si non est expressum, valere videntur ea omnia, quae in praecedentibus exposuimus.

**C O R O L L A R I A.****I.**

Verum est, diem interpellare pro homine.

**II.**

Is qui sciens rem alienam emit, re evicta, ne pretium quidem repetere potest.

**III.**

Interdicta retinendae possessionis actiones ex delicto non sunt.

**IV.**

Si pluribus omnia bona sunt obligata, in rebus postea adquisitis, par est eorum conditio.

## V.

Graduum successio potior est concurrente  
cum ea iure accrescendi.

## VI.

Si mulier post duos annos alienationem fundi  
dotalis, in quam iam antea consensit, ra-  
tihabet, illa alienatio ab ea revocari ne-  
quit.

---